

itane vis? *CH.* ita. *ME.* fiat. *CH.* ac iam uxorem ut 75
accersat paret.

hic ita ȳt liberos est aequom dictis confutabitur ;
950 sed Syrum . . *ME.* quid eum? *CH.* egone si vivo adeo
exornatum dabo,
adeo depexum ut dum vivat meminerit semper mei ;
qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
non, ita me dī ament, auderet facere haec viduae mulieri 80
quae in me fecit.

CLITIPHO MENEDEMVS CHREMES SYRVS ii

CL. Itane tandem quaeso, Menedeme? ut pater
955 tām ī brevi spatio omnem de me eiecerit animum patris?
quodnam ob facinu'? quid ego tantum sceleris admisi
miser?

volgo faciunt. *ME.* sciō tibi esse hoc graviu' multo ac
durius,

quoi fit; verum ego haud minus aegre patior, id qui nescio 5
nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.

960 *CL.* hic patrem astare aibas. *ME.* eccum. *CH.* quid me
incusas, Clitipho?

quidquid ego huiu' feci, tibi prospexi et stultitiae tuae.
ubi te vidi animo esse omisso et suavia in praesentia
quae essent prima habere neque consulere in longitudinem: 10
cepi rationem ut neque egeres neque ut haec posses perdere.